



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres**

**Commire, Jean**

**Lutetiæ Parisiorum, 1678**

Ad Bernardum Pgium Canonicum Et Archidiaconum Rothomagensem. Vt  
in Tolemenilianam villam, quo condixerat, venire festinet. Ode XIX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14818**

Quo non pauperies gravis,  
 Non furum insidiæ , flammave Cæsarum  
 Formidata palatiis ,  
 Non Martis penetrat barbarici furor.  
 Sed castis opulentia  
 Florens deliciis , & bona faustitas ,  
 Et pax lætitiae soror ,  
 Mansurisque fruens gloria honoribus ,  
 Et sincerus amor , chorum  
 Immortalem agitant non sine gratiis.  
 Hanc Læli pete regiam ,  
 Oblitus tuguri cui miser incubas ,  
 Et Divum propera genus ,  
 Sceptrum deposito sumere sarculo.

## AD BERNARDUM PIGNIUM

CANONICUM ET ARCHIDIACONUM ROTHOMAGENSEM.

*Ut in Tolemenilianam villam, quo condixerat ,  
 venire festinet.*

## ODE XIX.

**R**ITU te quoque patrio  
 Perjurum esse juvat : nec metuis datae  
 Ultores fidei Deos ,  
 O caris nimium dure fodalibus ?  
 Tandem desine tristium ,  
 Quæ te angunt misere , sollicitudinum :  
 Arcu dum bonus aureo  
 Luces purpureas sol jaculatur ; &  
 Rubram uvis religans comam ,  
 October tepidis certat Aprilibus.

Y iiij

## J O. C O M M I R I I

Ridens Tolemenilii  
 Te , Bernarde , nemus ; pomaque frondeis  
     Matrum pendula brachiis ;  
 Et junctæ violis tempore non suo ,  
     Absentem increpitant rosæ .  
 Sunt & parta tibi litore proximo  
     Succis ostrea mitibus ,  
 Et grato sale , quæ restituunt famem :  
     Insontisque cadus meri  
 Curarum omne genus diluere efficax .  
     Cunctaris ? tibi jam levis  
 Saltare in numerum Rossula , pro jocis  
     Latratus parat horridos ;  
 Et sœvum femori dentem acuit tuo .

## A D A M I C O S

DE NIHILO INTER SE JURGANTES ,  
*Ut potius regis optimi-maximi victorias celebrent.*

## O D E X X .

**N**ATIS amorem jungere litteris  
 Rixas , sodales , sœvaque jurgia  
 Miscetis , infandoque Musas  
     Diſſidio facitis nocentes .  
 Paulumne inermis distat acinaci  
 Stilus cruento ? cur calami ferunt  
     Plagasque , cædesque , & venenum  
     Sarmaticis gravius sagittis ?  
 Indigna dudum tollite prælia ;  
 Qucis triste victum cedere , tristius  
     Exire victorem , & pudenda  
     Opprobrium meruisse lauru .